

Johann Nicolaus Quistorp Joachim Ernst Berger

Disputatio Theologica, De Poenitentia

Rostochii: Richelius, [ca. 1685]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737674784>

Druck Freier  Zugang



R. U. Med. 1685.

Johann Nicolaus Quistorp Praes.
Vert. Joachim Ernst Berger Resp.

JESU JUVVA!
DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
POENITENTIA,

Quam
Favente Divini Numinis Gratiâ,
&
Venerandæ FACULT: THEOL: Consensu.

in
Florentiff: Rostochiensum Academia,
sub

PRÆSIDIO
VIRI admodum Reverendi, & Ampliffimi,
DN. JOH: NICOLAI
QVISTORPII,

S. S. Theol: LICENT: famigeratiff: & ad

D. Nicolai Pastoris vigilantiff: meritiffimi,
DN. Patroni, Præceptoris, & Hospitis summe venerandi.
Publ: & placido Eruditorum examini

submittet
AUCTOR

JOACH: ERNEST *Berger*

Gramptzow. Ukerö-Marchicus.

In Auditorio Majori

ad diem XXV. September.



ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIIUS, Ampliff. Senat. Typogr.

*H. Nuy Habichhorst, Rostochium Lipsophum D. 29. 7. in Bibliothek
de an. 1685.*

DISSENTIA
DE
PONTIFICIA

Facultatis Divinae
Venerabilis Facultatis



DR. JOHANN
OVSTORP
S. S. Theol. Licent.

D. Nicolai Faber's
P. S. Theol. Licent.

ACTOR
JOACHIM ERNEST
In Auditione

...



I.



Uæ sunt in DEO perfectiones, quæ consideranti stuporem & admirationem incutiunt, Illius sc: JUSTITIA, & MISERICORDIA. Quippe si utramque harum spectes, certo asseverares, eas mutuò invicem sibi adversari, cum tamen veluti sorores sint conjunctissimæ, & confœderatissimæ, quarum una nunquam est sine altera, sed semper inveniuntur conjunctæ. Præbent asserto testimonia multa in Sacris exempla, quæ enarrare, cum tempore excludor, spontè supersedeo. Hoc sufficere puto, si unicum saltem adduxero, quod DEI MISERICORDIAM, & JUSTITIAM eò modò, quò dixi, ante oculos ponit. Elucescit ea verò præcipuè in Loco, qui inscribitur de POENITENTIA. Etenim cum propter naturæ corruptionem, ita nobiscum se habeat, ut in hâc vita in multis labamur omnes; bonitas & MISERICORDIA Altissimi est, quæ lapsis, post Baptismum voluit reditum patere in gratiam, ostenditque, se nolle peccatoris mortem, sed ut convertatur & vivat. Huc etiam spectant dulcissimæ DEI nostri per Prophetas admonitiones de agendâ pœnitentia. Esai. XXXV. 22. Joël. II. 12. Jerem. III. 12. cap. XXXI. 21. Cum autem ita cum homine comparatum sit, ut quidem bona lubenter audiatur, eaque etiam probet, deteriora tamen sequatur, adeoque DEI MISERICORDIA peccando in diem abutatur.

Hinc DEI JUSTITIA accedit, quæ tales cum perseverantia contemptores justâ pœnâ persequitur, eosque æternâ vitâ privat. Luc. XIII. 3. & 4. Quam ob rem, merito agnoscenda DEI bonitas & MISERICORDIA, prestantiaque ea occasio, in quâ arripienda nobis offertur, nisi aliâ salutis dispendium æternò simus facturi. Eam ergò ut penitius consideremus, & quomodo se erga nos exerat, ut intelligamus; animus est pro materia academicæ συζητήσεως proponere paucissimis Locum de POENITENTIA, succedat FELICITER!

II.

Pœnitentiæ autem vocabulum, ratione Etymi sui Hugo Libr. III. de Myster. Ecclesiast: dictum arbitratur, quasi pœnitentiam, eò quod per eam homo in se puniat, quod male admisit. Huic assentitur etiam Lombardus Libr. IV. Sent. dist. 14. Lit. A. ita dicens: Pœnitentia dicitur à puniendo, quâ quis punit illicita, quæ commisit. Scotus, quasi pœna tenentiam derivationem esse voluit. Hi autem omnes, & qui è scholasticorum schola eos sequuntur, haud sine causa faciunt, dum pœnitentiam à pœnâ derivatam existimant. Quippe Interesse quod heic latet, est quod velint tantò rectius suam satisfactionem pœnæ, quæ pœnitentibus ab illis indicitur, stabilire. Nos autem etsi concesserimus, pœnitentiam idem esse, quod pœnam tenere, negamus tamen rectissimè sequelam, quam Pontificii exinde formant, quia pœnitentiæ nomine intelligitur dolor internus, ex peccati agnitione iræque divinæ sensu excitatus. Quam significationem etiam in fontibus utriusque Testamenti habere sedem, invenimus. Primum autem quod ad hebræam vocem attinet, ea est השׁוּבוּ, reditus, conversio, ad DEUM regressio, cui opponitur השׁוּבוּ, a-versio, defectio, per peccata enim alienamur à DEO, per pœnitentiam revertimur ad DEUM. Secundò græca vocabula sunt duo potissimum, quibus pœnitentia notari videtur,

tur, nempe μετανοια, & μεταμέλεια, quæ ut explicentur, operæ pretium duco. Μετανοια igitur, à μετανοεῖν, quibus etiam multum scriptura utitur, (alterum μεταμέλειος, non perinde crebrum invenitur) & plerique verterunt *pœnitentiam*, *pœnitentia*. Ratio autem hujus compositionis, triplex alias afferri solet, quarum prima est, ut significet post factum vel intelligere, vel animadvertere erratum; vi enim proverbii usu tritissimi, cogitationes posteriores, præstant prioribus; secunda, ut significet cogitatione revolvere factum, sicut præpositio μετὰ aliquando idem valet, quod trans aut denuo, ut μεταμορφεῖν, transformare, transfigurare, μεταπιεῖν, reficere opus, quasi dicas, id quod antea cogitasti, μετανοεῖν, denuo & aliter cogitare, ac veluti animo & mente recoquere, & quasi in aliam formam refigere; tertia, ut idem valeat quod CUM, sicuti crebrò usurpatur, sitque μετανοεῖν, cum animo aliquid reputare, considerare, non temere & sine cogitatione aliquid agere, quod antea in peccando factum fuit. Vid. Matthiæ Flacii Clavis Script. sacr. Sub vocabulo Pœnitentia quibus observatis, facile innotescit, quid per pœnitentiam, ratione Etymi, in sensu orthodoxo significetur sc. nihil aliud, quam *aversio à malo, & conversio ad bonum*. Quod etiam demonstrat Theutonorum vox *Busse* / descendens à radice בוש reversus est, & pertransmutationem literarum redit בוש.

III.

Non autem uno nomine salutatur pœnitentia, sed invenimus præterea in Sacris varia, quibus ea condecoratur & declaratur. Suntque illius appellationes; tum generales cum speciales; generales totum conversionis negotium exprimunt, vocaturque *conversio à peccatis* 1. Reg. VIII. 35. Esai LIX. 20. *Resipiscentia*, Marc. I. 15. *Resurrectio ab operibus mortuis*, Coloss. II. 12. *Conversio & reditus ad Dominum* Deveron. XXX. 2. Jerem. III. 7. Specialis ex una Conversionis parte, totum describunt, estque (I.) *Confessio*. 1. Joh. I. 9. *Si con-*

rite amur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis pec-
cata. Proverb. XXVIII. 13. Qui tegit scelera sua, nunquam
prosperè aget, qui verò confitetur, ac derelinquit misericordiam
consequetur. (2.) Tristitiâ secundum DEUM 2. Cor. VII. 10. (3.)
Declinatio à malo ad bonum propositum Psalm. 37. 27. Declina à
malo & fac bonum. Dantur autem adhuc alia epiteta, quibus
pœnitentia à sanctis Patribus notatur. Ita à Lactant. Libr.
VI. Inst. cap. 24. p. 377. vocatur portus salutis. Et Nazianzen.
orat. XV. p. 236. dicitur μέγας κενός φάσμαρον. Quibus accedit,
quod Augustinus, de verâ & falsâ pœnitentiâ c. 1. loquitur.
Pœnitentia est via, quæ homines ad Angelos ducit, & Creaturam
reddit Creatori. Reliqua adhuc lata encomia silentiū peplo
involve, ob temporis papyriqve penuriam quibus pressus,
teneor.

IV.

Et sic Etymologia & Synonymia expeditis, de Homonymia facile jam erit expeditu negotium: nimirum sumitur pœnitentia vel *μυμητικῆς* & metaphorice, vel *δικαίως* & proprie. Priori modo tribuitur DEO, ut patet Genes. VI. 6. & 7. 1. Sam. XV. 29., Jon. III. 10. quæ tamen καὶ ἀνθρώπων παθείαν accipienda est. Nam cum homines sumus, humano more loquimur Scriptura, inquit Procopius in c. 3. Esai. Hæc autem pœnitentia improprie dicta talis, minime conjuncta est cum perturbatione, errore, judicii imperfectione, quia DEO tanquam omniscio omnia sunt præsentia. Proinde, quæ ἀνθρώπων παθείας de DEO dicuntur, rectissime θεωγενεῖως explicantur, juxta Athanasii effatum in Dial. I. de Trinit. & potius de effectis quam affectis exponuntur. Vide Nobiscum consentientem Moysem, causam suppeditantem sufficientissimam Num. XXIII. DEUS non est ut homo, quem alicujus pœnitere possit. Cui adde Isidor. Libr. I. de Summo Bono cap. 5. Augustin. supra Psalm. 92. sic & Libr. XV. de Civ. DEI c. 25. Idem Libr. 17. de C. D. c. 7. Tertullian. Libr. 2. advers. Marcion. cap. 20.

οὐκ ἔστι

οικείως seu proprie de hominibus dicitur, quibus revera mutatio consilii, imprudentia lapsus & affectuum perturbatio competit. Unde sensu theologico sumpta, pœnitentia significat *veram ob admissa peccata contritionem, & fiduciam certam in Christi meritum*; Atque hœc modo iterum dupliciter sumitur, vel *ὀλικῶς*, totaliter pro toto Conversionis actu, Jerem. XVIII. 8. Matth. III. 2. Luc. XIII. 3. &c. vel *μερικῶς* partialiter pro sola contritione, quando nempe fides pœnitentiæ adjungitur, Marc. I. 15. Priorem autem acceptionem, hic potissimum attendimus.

V.

Dari autem pœnitentiam, seu quod fit vel detur pœnitentiæ locus, probamus, (1.) à severissimo DEI mandato, quod omnes omninò homines respicit & obligat, conf: Matth: III. 2. Marc: I. 15. Act: XVII. 30. (2.) A summa illius *φιλανθρωπία*, quâ mortem peccatoris non vult, sed ut convertatur & vivat Ezech: XVIII. 23. c. XXXIII. II. Jerem: XXIX. II. Malach: III. 7. Joel. II. 13. (3.) à Christi incarnatione, quæ si pœnitentiæ locus non esset, nihil prodesset, Matth: IX. 13. Unde recte Ecclesia: *Es ist der Herr Christ unser Gott / der will euch führen aus aller Noth / er will euer Heiland selber seyn / von allen Sünden machen rein.* Probamus denique & (4.) Exemplis, & quidem Protoplastorum, Genes: III. Davidis, 2 Sam: XII. Petri, Matth: XXVI. & reliquorum, qui omnes peccati admissi à Christo veniam accepere.

VI.

Quamvis autem luce meridianâ, (quod ajunt) hoc clarissimum, nihilo secius inveniuntur, qui circa hoc nostrum assertum, dupliciter peccant, modò in defectu, modò in excessu. Prioris generis dicuntur NOVATIANI, dicti & *καθαρῶν*, à munditie, quâ gloriari solebant, cum non tantum puri videri vellent, sed nec communicare cum impuris. Antiquum autem

autem est hoc nomen, cum etiam temporibus Epiphani, in usu fuerit. Ait enim Epiphanius: *Quisquis purum se putaverit pronunciandum, extrema se impuritatis, suoque iudicio condemnat.* Duo erant Auctores hujus hæreseos, & similes dogmatibus, & similes nominibus. Alter NOVATUS, alter NOVATIANUS; in diversis tamen regionibus vivebant. NOVATUS erat Presbyter Carthaginensis, & adeo dogmata sua proponebat in Africa. NOVATIANUS, Italus erat, adeoque in Italia docuit. Alter ergo Africam, Alter Europam turbavit. Sunt autem, non infimi nominis Historici, qui defendere volunt, quod nequaquam hoc dogma Novatianorum fuerit, quasi simpliciter lapsis salutem denegaverint, sed quod denegarent Ecclesiæ potestatem recipiendi lapsos; atque sic non denegasse lapsis salutem, sed communionem in Ecclesiâ, & hoc probare volunt, ex disputat. I. à Socrate, qui ipse fuit Novatianus, annotata. Libr. VII. H. E. c. 28. Vixerunt autem in seculo tertio sub Decio, & duraverunt ultra ducentos annos, huiusmodi talem, quod vulgo volunt, formabant controversiæ statum: *An nimirum illi, qui post perceptum Baptismum, fidem Christianam abnegant rursus sint recipiendi in gratiam?* v. g. si homo tempore persecutionis, & metu periculi, suam religionem christianam abnegat, quæritur, an sit iterum recipiendus in gremium Ecclesiæ? negant illi, nos recte affirmamus (si nimirum veram poenitentiam agat, quod præsupponimus) propter rationes in priore paragrafo adductas. Posterioris generis sunt REFORMATI, quos discretivè CALVINIANOS appellamus, qui asserunt: semel justificados & in gratiam DEI receptos, non posse Spiritum Sanctum rursùm amittere. De quâ tamen quæstione, cum haud minoris momenti res sit, fufusus, quam aliàs par erat, dicam.

VII.

Antequam autem ad quæstionem ipsam respondeamus,

meritò à nobis primò notatur terminorum *περίληψις*, ut tantò clarior perceptu, mens nostra fiat. Et quidem ex parte *subjecti* notamus, justificatos dici, vel *γενικῶς* ratione actus tantum, quibuscunqve ex mera gratiâ propter Christum remissa sunt peccata, & imputata Christi justitia; vel *ἰδικῶς*, ratione actus & termini simul, qui & in gratiam recepti sunt, & in gratiâ decedunt. Rom. VIII. 30. *Quos DEUS justificavit, eos etiam glorificavit.* *Isò* sensu omnes renati dicuntur justificati; *hòc* verò soli electi sunt justificati. Non autem sunt termini convertibiles, in scholâ Spiritus S. *renatum esse, & electum esse.* Nam homines ab æterno sunt electi, ast ab æterno renati dici non possunt: & vice versa non omnes, qui regenerantur, sunt electi, sed sunt Electi quandoqve non renati, quando sc: fidem non habent in præsentî, ex quâ ipsi æstimantur: Et sunt non nulli ex renatis non electi, qui sc: ob finalem impœnitentiam prævisam, sunt reprobati. Ex parte *predicati* observandum, quid sit Spiritus S.? & quid amittere Spiritum S.? Spiritus Sanctus autem hic accipitur *non proprie, vel ὑποστατικῶς, sed metonymicè vel ενεργητικῶς, ut notat gratiam Spiritus S. in renatis habitantis, adeoque intelligenda est Spiritus S. presentia, & quidem non universalis, sed specialis, sc: sanctificationis.* Amittere Spiritum S. dicuntur, qui gratiosâ Spiritus S. præsentîâ & assistentiâ privantur, qui eâ de causâ quoqve dicuntur *excidere gratia DEI*, & à fide deficere, ita, ut nec DEUM amplius habeant propitium, sed iratum, nec ad DEUM accedant ceu ad thronum gratiæ *μετὰ παράσησις*, sed à DEO per peccata se avertant, vel certe præ conscientîâ offensionis, ejus conspectum ferre non possint. Adhibentur hic etiam aliæ locutiones similes, cum dicitur Spiritus S. *ejici, expelli, & exturbari*, quod *ἐν θρωποναιδῶς* dictum, quivis intelligit, accipi debere *θεοπεριπῶς*. Excutitur autem Spiritus S. vel *ἰλικῶς* totaliter, vel etiam *πλικῶς* finaliter.

B

ter.

ter. *Illud*, cum ex filio gratiæ, fit filius iræ, & hic datur restauratio per pœnitentiam in hâc vitâ. Amittitur quidem gratia DEI, nec manet tum vita æterna in eo, verum non ita intercluditur ipsi reditus ad gratiam DEI, & accessus ad vitam. *Hoc* quum ex eo, qui heres cœli esse poterat, fit miser inferni incola, ac diabolorum socius post hanc vitam, cui nulla spes gratiæ est reliqua.

VIII.

Quibus præmissis jam formo quæstionis statum h. m. *Utrum iustificati, possint amittere Spiritum S?* Intelligi autem quæstio potest, *primo sensu*, de renatis vel de iustificatis; *sensu altero*, hoc est de electis; itemque vel de excussione Spiritus S. totali, vel etiam finali. De Renatis, in genere controversatur utrumque, dicimusque, eos Spiritum S. amittere posse, & totaliter, & etiam finaliter. In specie de Electis quæritur tantum, utrum totaliter excutere possint Spiritum S. ? cum extra controversiæ aleam sit, electos finaliter non excidere gratiâ DEI, vel à fide deficere, adeoque reprobati essent, non electi. *Accipitur verò id amittere Spiritum S. vel de potentia, quæ non deducitur in actum*, ut possint quidem Renati amittere Spiritum S. quâ considerantur in se, & ratione conditionis humanæ, nunquam autem amittant, eô, quod Spiritus S. eos non velit deserere vi promissionis perseverantiæ: vel *de potentiâ, quæ verè deducitur in actum*, quod non possint Spiritum S. amittere, sed & tenore comminationum divinarum excutiant, actu ipso Spiritum S. peccatis mortalibus, & hoc est, quod Nos affirmamus. Contra ea, non posse Renatos & electos Spiritum S. omninò excutere, & veram fidem profus amittere, sed DEVM velle iis, etiam in graviora peccata prolapsis, adesse suâ gratia, ante actam pœnitentiam, nec unquam eos deserere, fidemque semel alicui datam, manere cum eo in æternum, nec posse unquam plane extingui,

gui, aut deficere *Zvinglianorum, Calvini, Beze, Grynæi, Zababij, Piscatoris, &c. est assertio.*

IX.

Enim verò eos errare dicimus, & probamus argumentis (1.) *Quodcunque DEUS ipse testatur, verumque asserit, hoc temerè & frivole negatur; Atqui justificatos sive electos posse amittere Spiritum S. totaliter, DEUS asserit, Ergo temerè & frivole negatur. Major propositio claret; de DEO enim rectè dicitur: omnes ipsa. Minor probatur, Ezechiel. XVIII. ubi DEUS ita loquitur: si justus se advertat, à suà justitià, & fecerit iniquitatem, num quid vivet?* (2.) *Quicunque ardentissima suspiria DEO allegat, ne donum semel datum auferat, ille, eò ipsò fatetur, se posse donatum amittere. Atq; Ergo; Minor probatur exemplo Regis Davidis, ita orantis, Psalm. LI. v. 14. Spiritum S. ne auferas à me. Si justificati non possent amittere Spiritum S. frustra & irrita fuisset petitio Davidis.* (3.) *Cui dictum est à Paulo: Tu per fidem stas, ne effertor animo, sed metue, ille potest cadere. Atqui cuivis fideli dictum est à Paulo: Tu per fidem stas, ne effertor animo, sed metue. Ergo quivis fidelis potest cadere. Minor probatur, Röm. XI. v. 19. 20. seq. His accedunt alia insignia dicta, thesin nostram probantia, utpote Hebr. VI. v. 6. 2. Petr: II. 21. 22. &c. Quod si autem exempla desideremus, quæ magis probent & illustrent, in Sacris haud exiguum habemus eorum penum, & quidem primò concludimus indirectè, à minori ad majus, ab exemplo tam angelorum, qui in veritate non steterunt, Joh: VIII. 44. nec servaverunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, ideo in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine servantur; Ratio connexionis habetur 2. Petr: II. 4. quàm primorum Parentum, qui per lapsum imaginem DEI in vera justitià sistentem amiserunt, & gratiã DEI exciderunt. Genes: III. Directè probamus ab exem-*

plis hominum, in statu restorationis constitutorum, v. g. in V. T. Aaronis Idololatræ, Exod. XXXII. & rebellantis cum Moyse ex diffidentia, Num: XX. Sauli, à quo Spiritus DEI recessit, 1. Sam: IX. Davidis, adulterium & homicidium, committentis, 1. Sam: XI. Salomonis, qui DEO singulariter dilectus, factus pessimus idololatra, 1. Reg: XI. adeò, ut Augustinus de Salute ejus dubitet. In N. T. Petri, qui verè renatus, Matth: XVI. 17. Christum adnegantis Matth: XXVI. Thomæ, qui in Christum ante passionem verè credidit, Joh: VI. postea incredulus factus, Joh: XX. 25. & aliorum, quæ ob brevitatem, spontè negligimus.

X.

Rei essentiam, explicat Definitio; Quare pœnitentiæ naturam demonstraturus, sisto merito ejus definitionem, quæ, quamvis à variis varie proponatur, placet tamen omnium Köning: in Theol: Positiv: sub articulo, de POENITENTIA: *Pœnitentia est actus, hominis peccatoris, quò is per vires supernaturales, ex gratiâ conversiones acceptas, de peccatis ex lege agnitis serè dolens, unicam pro peccatis suis satisfacti- onem à Redemptore Jesu Christo præstitam, verà fide, verbo Evan- gelii à Spiritu S. accensa, apprehendit, ut impetratâ gratuitâ pec- catorum remissione, æternum saluus fiat.*

XI.

Huc omnium accedit quæstio: *An pœnitentia signis ex- ternis manifestata, accedente ad eam verbo absolutionis, sit Sacra- mentum novæ legis propriè & specialiter sic dictum?* Pontificii affirmant, ut patet ex Concil: Tridentin: Sess: IV. sub Julio III. Canon: I. *Si quis dixerit in catholicâ ecclesia, pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptis- mum in peccata prolabuntur ipsi DEO reconciliandis à Christo in- stitutum, anathema sit.* Porro Idem, ibidem: *Nec ante adven- tum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius*

illius cuiquam ante Baptismum. Sic & Catechism: Tridentin: cap: de Pœnitentia: Quod pœnitentia Sacramentum sit, Pastores ita facile ostendent. Ut enim Baptismus Sacramentum est, quia peccata omnia, & præsertim quod origine contractum fuit, delet; eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia post Baptismum voluntate vel actione suscepta, tollit, & proprie Sacramentum dicendum est. Ita enim Bellarminus Libr. I. de Pœnitentia cap. 8. loquitur: Pœnitentia, signis externis manifestata, accedente ad eam verbo absolutionis, est Sacramentum novæ legis propriè dictum. Istum enim ritum reconciliandi lapsos post baptismum, qui ex pœnitentia signis externis prodita, & verbo absolutionis constat, Catholici, verum & propriè dictum Sacramentum esse affirmant.

XII.

E contrariò Nos, meritò eos errore arguimus, dicimusque, quod pœnitentia signis externis manifestata, non sit Sacramentum N. T. propriè & specialiter sic dictum. Antequam autem, thesin nostram probamus, prius explicabimus Sacramenti homonymiam. Est autem vocabuli Sacramenti triplex sensus, latus, sc: strictus, & strictissimus. Latè quando fumitur, denotat rem sacram, diciturque à sacrando vel à facris, quod & ipsa consideratio vocis innuit, ac hòc modo, omnia mysteria in Sacris, Sacramentorum nomine veniunt. Strictè accipitur, quando quid respectu finis sacramentū esse dicitur, quod nimirum fidem obfignet, & operetur, quem communem habent Sacramenta, atq; hâc ratione, appellat pœnitentiam etiam Sacramentum, Apolog: August: Confessi: in cap: de usu & numero Sacramentor: edit: Lips: pag: 606. ubi ita loquitur: *Si Sacramentum vocamus ritus, qui habent mandatum DEI, & quibus addita est promissio gratia, facile est judicare, quid sint propriè Sacramenta, sc: Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio.* Strictissimè, vox Sacramenti tantum

denotat talia Sacramenta, in quibus exhibentur elementa visibilia & invisibilia utentibus, uti in Baptismo & S. cœna. Atqui in hâc posteriore significaiione, Pœnitentiam Sacramentum esse, negant rationes sequentes (1.). Omne Sacramentum N. T. in concionibus & praxi Christi & Apostolorum, gaudet fundamento. *Ast pœnitentia illa papistica, quæ exigit specialem singulorum peccatorum enumerationem, & satisfactionem operis, non gaudet fundamento in concionibus & praxi, Christi & Apostolorum.* Ergo non est Sacramentum. (2.) In omni Sacramento verè & propriè dicto, præter verbum dati & promissi, requiritur visibile & externum elementum divinitus institutum, juxta Augustin: *Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Atque in pœnitentia, *nulum est externum & visibile elementum.* Ergo pœnitentia non erit Sacramentum propriè & specialiter sic dictum. Quippe *elementum, non potest esse contritio*, quia ea non videtur, sed soli DEO tanquam cordium scrutatori nota & cognita; Nec *Confessio*, quia illa auditur, non videtur; Nec *satisfactio*, quia est signum non gratiæ acceptæ, sed ad huc acquirendæ; Multò minus illa verba Sacerdotis: *Absolve te à peccatis*, possunt esse externum & visibile elementum, cum verba sint audibilia non visibilia. Ultimò nec *χρησιμιά* pro visibili externo elemento haberi potest, quia hæc potest abesse, salvâ tamen absolute & integrâ, quod & Bellarminus Libr. 1. de pœnitentia c. 15. probat, cum dicit: *Hunc ritum non pertinere, ad Sacramenti hujus essentiam*; Jam verò externum symbolum, in Sacramento ita necessarium est, ut absq; eò non fit Sacramentum (3.) Nullum Sacramentū propriè & specialiter sic dictum est cōmune Veteri & N. T. sed alterutri peculiare, & propriū est. *Jam verò pœnitentia, est commune V. & N. T.* Ergo non potest esse Sacramentum propriè & specialiter sic dictum. Apparet igitur fucus, quem frustra nobis facere conantur Papi-colæ.

colæ. Vid: B. Chemnitium Part: II. Exam: Concil: Tridentin:
pag: 175. editione Francofurt: 1666. edita. Item Menzerum
in Auguftan: Confession: Artic: XII. & Tom: III. Disp: Giff:
Disp: VI. thef: 17. 18.

XIII.

Subjectum pœnitentiæ veræ capax, est homo, post integritatis, & gloriæ, in peccati & corruptionis statum positus. Ex quâ causa etiam nihil ad suam pœnitentiam seu conversionem conferre potest, sed habet hic se merè passivè. I. Cor. II. 14. Rom: VIII. 7. Ephes. II. 1. seq. Rom: III. 12. I. Cor: XII. 3. Philipp: II. 13. Hinc rectè B. D. Hülseman: in Breviar: cap. IX. thef: 7. *Proprie dicendo, inquit, homo nullo modo est causa procreans pœnitentiæ, neq; ullius partis, tanquam natura instinctu provocans, & eliciens pœnitentiam, sed tantum subjectum patiens, quoad receptionem facultatum pœnitendi.* Cui & haud absolum, quod à B. Meisnero, in Atropol: Decad: III. Disp: XXII. thef: 25. profertur: *Cæca mens est, quomodo igitur sue illuminationis causa efficiens esse possit; averfa est voluntas, quomodo se ipsam convertat; serfa est, quomodo se ipsam liberet; agrotâ est, quomodo se ipsam sanat; mortua est, quomodo se ipsam vivificet.* Subjectum autem Quo, est anima, seu cor hominis, quâ voce sacer Codex passim omnes animi vires, *mentem, voluntatem, appetitum, affectus, &c.* includit. *Mens* seu intellectus, ex legis contemplatione peccatorum pondus agnoscit; *Voluntas* peccata à mente agnita, detestatur, & Spiritus S. operante gratiâ, se ad Christum Mediatorem convertit, in eoqve remissionem peccatorum, justitiam & Salutem quærit; *Appetitus sensitivus*, ob admiffa peccata, dolore & tristitiâ afficitur &c. *πρωτων δεικνυμεν* autem pœnitentiæ anima hominis peccatoris est, quanquam etiam corpus, ejusque membra aliquô modô in Societatem veniant, vide verba *ἐμψυχώματα* in Psalm: pœnitential: præsertim Psalm: VI. 3. & 4.

XIV.

XIV.

Cum ergo per lapsum, adeo sit corrupta & depravata hominis natura, ut in spiritualibus necquicquam valeat: Hinc serio pœnitentiam agens, prærequirat causam aliquam efficientem, quâ succurrente, feliciter eam agat. Datur autem ea duplex, & *principalis* & *instrumentalis*. Principalis causa est S. S. TRINITAS (opera enim ad extra sunt indivisa) *terminative* autem Spiritui S. adscribitur. I. Cor. VI. II. cap: XII. 3. Causalitas autem Spiritus S. hic ita se habet, ut, quoad receptionem, homo se habeat merè passivè, uti in §. præced: ostensum fuit; quoad exercitium verò illarum in Conversione acceptarum virium supernaturalium homo Spiritui S. subordinetur. Hic verò homo, non merè passivè se habet, sed actu ipso pœnitet & credit, hoc tamen non præstat, ex propriis naturalibus viribus, sed supernaturalibus in regeneratione collatis.

XV.

Quare graviter errant PELAGIANI, & SEMI-PELAGIANI, SCHOLASTICI & PONTIFICII, SOCINIANI & ARMINIANI, itemque SYNERGISTÆ & NOVATORES, qui omnes inficiantur, hominem in Conversione se habere merè passivè, sed etiam activè, ac ita ad pœnitentiæ actum aliquid conferre.

XVI.

Causa minus principalis pœnitentiæ, alia est prima, alia secunda. Prima est verbum DEI, quippe Spiritus S. hic non agit à *meo*, sed à *deo*, per verbum legis & Evangelii. Et cum duæ sunt partes pœnitentiæ, (quod paulò post monstrabitur) hinc utraqve pars organon aliquid agnoscit, & contritioni proprium est concio legalis, per legem enim peccata manifestantur, quod Paulus fatetur Rom: VII. 7. *Peccatum non cognovissem, nisi per legem;* Unde rectè Ambrosius

sus in h. l. dicit: Per legem peccati agnitio fit, per fidem abolitio. Alterum organon acqvirendæ fidei peculiare, est concio evangelica. Evangelium enim solatium præbet ob peccata sua consternatis mentibus, deducit eos ad verum Mediatorem Jesum Christum, & fidem in eos accendit Röm. X. 8. Causa autem minus principalis secunda, sunt hodie Ecclesiæ Ministri, quos DEUS mysteriorum suorum dispensatores fecit. 1. Cor. IV. 1.

XVII.

Objectum autem seu materia, circa quam versatur pœnitentia, ex parte contritionis, est, tum peccatum originale Psalm: LI. 7. tum actualia quæcunqve, sive sint levia sive gravia, modo peccatorum nomine veniant: ex parte fidei, est meritum Christi, quod pœnitens, post agnitionem & detestationem peccatorum suorum, verâ fide apprehendit, sibiqve applicat. Materia autem analogâ, quæ pœnitentiæ tribuitur per analogiam proportionis, ex QVA sc: ea constituitur, sunt partes duæ Contritio, & Fides. Actor: XX. 21. C. XXVI. 18. *Est autem Contritio actus pœnitentialis prior, quò homo peccator, legis fulmine percussus & ira divinæ sensû perterritus ob admissa peccata, secundum DEUM tristatur & expavescit, illaq; serio detestatur & odit. Fides verò actus pœnitentialis alter, quò peccator contritus conscientia sua vulneribus, ex vulneribus Jesu Christi, in Evangelio ostensis, fiduciali eorundem ad se in individuo factâ appropriatione, medicinam querit.*

XVIII.

Esse autem tantum duas pœnitentiæ partes, nec pauciores, nec plures, probo (I) in genere (α) ex essentia seu natura pœnitentiæ. Termini enim, quos pœnitentia agnoscit, sunt duplicis generis, alter est à QVO, sc: vita malè acta; hic oritur dolor & contritio; alter ad QVEM, est DEUS, ad cujus gratiam per fidem patet aditus (β) ex causa efficiente principali, quæ est justitia & misericordia DEI. Etenim ex

C

con-

consideratione iustitiæ divinæ, nascitur contritio; ex misericordia, fiducia seu fides. Dan: IX. 15. (II) *in specie*, probatur contritionem esse partem essentialem pœnitentiæ, inde: Quia eam DEUS à feriō pœnitentibus necessariō requirit Esai XLVI. 8. Jerem: III. 13. quia etiam in exemplis verè pœnitentium perpetuō conspicitur 2. Sam: XII. 13. c. XXIV. 10. quia absqve verà contritione remissio peccatorum non habet locum Jerem: III. 12. Ezech: XVIII. 7. Fidem autem veram in Christum esse essentialem pœnitentiæ partem, patet ex indissolubili contritionis & fidei nexu; Vera enim pœnitentia fidem semper includit, Marc: I. 15. & est anima pœnitentiæ, & sine fide non est pœnitentia *ἐκ ζωῆς*. Act: XI. 18. Quapropter fides à pœnitentiæ actû, nullo modo excludi potest.

XIX.

Contra ea heic PONTIFICII bis peccant, (1) partem principalem pœnitentiæ, quæ est fides salvifica, extirpando, (2) partes spurias adjiciendo. Et quidem, fidem nullo modo pœnitentiæ partem esse contendunt; sic enim Bellarminus Libr: I. de Pœnitentiâ cap. XIX. propos: 21. *Fides, inquit, non est pars pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam necessariō requiratur. Hec propositio etiam conformis est Concil: Trident: Sess: VI. cap. 6. Fides nullo modo pœnitentiæ pars recte dici potest.* Interim pœnitentiæ tres partes tribuunt (1) Contritionem cordis, (2) Confessionem oris, quæ exigit singulorum peccatorum enarrationem Sacerdoti faciendam. (3) Satisfactionem operis, quæ fit pro arbitrio Sacerdotis, & efficitur per orationem, jejunium, & Eleemosynas. Ita enim Concil: Florentin: de Sacramento pœnitentiæ, & Concil: Trident: Sess: XIV. cap. 13. it: bellarminus L. I. de Pœnit: c. 19. Propos: 5. *Tres inquit, sunt partes pœnitentiæ, Contritio, confessio, & Satisfactio. In hâc propositione omnes catholici conveniunt.*

XX.

Verum enim verò duas tantum genuinas & essentielles pœnitentiæ partes esse probavimus §. præ: partes autem quos Pontificii pœnitentiæ tribuunt spurias ibidem nominavimus, & probamus hoc quoad contritionem papisticam, quæ secundum illos *est actio bona, libera, & evangelica*, affirmante Bellarm: Libr: 2. de pœn: c. 1. propos: 2. Quod contritio non sit *actio*, sed passio, consequenter non actio bona sed mala; quia homo se ipsum non conterit, est enim lapis in peccato mortuus, à DEO contritus, Jer: XXIII. 29. Ezech: XI. 19. c. XXXVI. 27. Nec *libera*; nulla enim passio est libera; Non *evangelica*, sed *legalis*. Ex lege enim est agnitio peccati. Röm: III. 20. c. VII. 9. At, unde est cognitio peccati tanquam causa efficiens, inde etiam est contritio tanquam effectus, quare in hoc contradistinguitur lex Evangelio, quod illa occidat, hoc vivificet 2. Cor. III. 6. Nequaquam ergò est evangelica, quippe Evangelium non est concio pœnitentiæ, sed pacis Rom: X. 15. & annunciatio gaudii, Luc: XI. 10. E gaudio verò non oritur dolor aut contritio, & Evangelium posterius est contritione, quia annunciatur non nisi jam contritis Esai LXI. 1. Matth: XI. 28. Marc. I. 14. Nec *Satisfactio operis pœnitentiæ pars est*, quod probamus h. m. (1) Quodcunque neque *ἡ τὸ ἐνδοξόν* neque *ἡ τὴν δόξαν* fundamentum habet in Scripturis, hoc nequaquam est admittendum. Atq; *Satisfactio operis* neque *ἡ τὸ ἐνδοξόν*, neq; *ἡ τὴν δόξαν* fundamentum habet in Scripturis. Ergo non est admittenda, multò minus ut pars pœnitentiæ tribuenda. (2.) Quodcunque dogma contradictoria includit, hoc risu dignum. *Pontificiorum dogma de satisfactione operis contradictoria includit* Ergo. Minor probatur: Quia utiq; contradictorium est, quod velint Pontificii ab homine jam absoluto satisfactionem operis exigere, cū, si necessaria esset, potius de absolvendo quam absoluto accipienda. Denique quod obijciunt, in V. Ecclesia hunc ritum fuisse,

fuisse, id quidem damus, verum ritus ille non fuit de necessitate exigentiæ, sed Adiaphorum quid, quod poterat omitti, poterat & præstari. Contra tertiam partem, quam Confessionem auricularem faciunt, vide argumenta in Disp: inscripta: De privata Confessione PL: Referend: Præsidis, ubi pluribus B. L. percipiet, quæ desiderio possunt reddere satis. Ob chartæ enim, temporisque penuriam, omnia persequi, impossibile erat. Verum, eam Confessionem, quæ in nostra ecclesia viget, quâ scilicet quis, pro more hujus vel illius ecclesiæ generaliter, quandoque & specialiter, peccata sua Presbytero confitetur, eam retinemus merito, ast non sub conditione necessitatis ac si simpliciter ad salutem consequendam necessaria sit, sed ut ritum perutilem.


XXI.

Ultimò in constituendis pœnitentiæ partibus etiam peccant REFORMATI, qui pœnitentiæ partes faciunt: Mortificationem carnis, & Vivificationem Spiritus. Ita enim Catechism: Palatin: quæst: 88. *In wie viel Stücken stehet die wahrhafftige Busse/ oder Bekehrung des Menschen? Resp. in zweyen Stücken/ in Absterbung des alten/ und Auferstehung des neuen Menschen.* Cui assentitur & Calvinus L. III. Instit: c. 3. Num: 5. & 8. Ita & scribit Beza Vol: I. Fol: 328. *Pœnitentia duas facimus partes, inquit, nempe abnegare se ipsum, & totum DEO addicere, seu mortificationem veteris hominis, & vivificationem novi, seu odium peccati, & studium justitiæ atq; pietatis.* Contritionem verò & fidem partes pœnitentiæ esse negant, vid: Beza L. c. Bucanum in Inst: cap: III. Sect: 5. Piscator: Vol: I. L. .4. th. 46. Sed finem facio, & DEO O. M. gratias, gratus ex imo pectore fundo, quod Spiritus S. sui gratiâ mihi voluerit adesse, faxit ille, ut vergat hocce Studium in Nominis sui gloriam, proximiq; emolumentum. Amen!

FINIS.



Verum enim verò duas tantum gen-
 pœnitentiæ partes esse probavimus §. p
 quos Pontificii pœnitentiæ tribuunt spuria
 vimus, & probamus hoc quoad contriti
 quæ secundum illos *est actio bona, libera,*
 mante Bellarm: Libr: 2. de pœn: c. 1. propo
 non fit *actio*, sed passio, consequenter non
 la; quia homo se ipsum non conterit, est
 cato mortuus, à DEO contritus, Jer: XXII
 c. XXXVI. 27. Nec *libera*; nulla enim pa
evangelica, sed *legalis*. Ex lege enim e
 Röm: III. 20. c. VII. 9. At, unde est cog
 quam causa efficiens, inde etiam est contri
 ctus, quare in hoc contradistinguitur lex E
 occidat, hoc vivificet 2. Cor. III. 6. Nec
 evangelica, quippe Evangelium non est o
 sed pacis Rom: X. 15. & annunciatio gaudi
 gaudio verò non oritur dolor aut contri
 um posterius est contritione, quia annunc
 contritis Esai LXI. 1. Matth: XI. 28. Marc. I. 1
operis pœnitentiæ pars est, quod probamus h
 que neque *ἐν τῷ νόμῳ* neque *ἐν τῷ Δεσποτικῷ*
 bet in Scripturis, hoc nequaquam est adm
satisfactio operis neque *ἐν τῷ νόμῳ*, neq; *ἐν τῷ Δεσποτικῷ*
habet in Scripturis. Ergo non estmitter
 ut pars pœnitentiæ tribuenda. (2.) Qv
 contradictoria includit, hoc risu dignum.
gma de satisfactione operis contradictoria ino
 probatur: Quia utiq; contradictorium est, q
 cii ab homine jam absoluto satisfactionem
 si necessaria esset, potius de absolvendo qua
 pienda. Denique quod obijciunt, in V. Ec



ntiales
 autem
 minia-
 ticam,
 , affir-
 ntritio
 d ma-
 n pec-
 XI. 19.
 ; Non
 eccati.
 ti tan-
 n effe-
 od illa
 gò est
 entia,
 o. E
 ngeli-
 si jam
 factio
 dcun-
 m ha-
 teq; sa-
 entum
 ninus
 ogma
 m do-
 Minor
 ontifi-
 re, cū,
 acci-
 ritum
 fuisse,